



(a) PETRI
CARDINALIS BEMBI
VITA,
(b) Auctore JOANNE CASA.
Notis illustravit & auxit
APOSTOLUS ZENUS.

(a) Petri Bembi vita) Petri Bembi vitam, praeter Joannem Casam, enarravit etiam Italice Ludovicus Beccatellus, patricius Bononiensis, archiepiscopus Ragusinus, & apud Venetos Nutius apostolicus. Vernaculo pariter sermone circumfertur, ad Bembi historias in vernaculum sermonem translatas edita, altera ipsius vita auctore anonymo; qui tamen in eam inspexisse videatur, quam Casa conscripsit, unde praecipua quaeque summiatim excerpta. Hanc minime fortasse aberrant, si qui Carolo Gualterio, Fanensi, qui Bembo persimilis fuit, adjudicant. Eamdem quoque exposuere Franciscus Sansovinus, ac Andreas Thevet, Gallus, aliique multi; inter quos plura scitu dignissima retulerunt Benedictus Varchius, & Speronus Speronius, uterque in funebribus Bembi laudatione: alteram e suis typis Antonius-Franciscus Donius, anno M.D.LII. evulgavit; altera una cum aliis Speronii orationibus omnium manibus teritur.

(b) Auctore Joanne Casa) Bembo familiarissime usus est Casa. Satis utriusque opera testantur, quanta inter ippos intercederet necessitudo, quae alterum alteri primum Patavii conjunxit anno M.D.XXVIII. cum Casa una cum Beccatello illuc profectus est, ut graecas literas a clarissimis illius aetatis doctoribus disceret. Id tradit Antonius Gigas, Forosempionensis, qui Beccatelli fuit ab epistolis, in ejusdem Beccatelli vita, cuius exemplum debo humanissimo aequo ac eruditissimo viro Joanni-Josapho Urso. Ipsa Gigantis verba juvat hic exscribere, cum praecipue quaedam de Casae vita eadem illustrent, quae clariora fieri optavit etiam vir literarum laude clarissimus Joannes-Baptista Abbas Casotus, Pratensis, in Casae vita pag. 36. Cum enim Gigas enarrasset, filio esse obsecutum Beccatelli patrem, ut, juris scientia dinnissa, graecis latinisque literis operam daret; haec subiicit: Da cosi desiderata risposta preso animo Lodovico, & sollevato da lui (a patre videlicet) non solo col consenso datogli, ma con denari anchora, in compagnia di Giovanni (Joannes Casa hic erat, quem Bononiae condiscipulum habuerat) et d'alcuni altri se n' andò a Padova, ove a pena arrivato cominciò ad attendere alla lingua greca, trovandosi nell' età di 27. anni. (III. kal. februarias anno M.D.I. Bononiae in lucem editus Beccatellus) & ivi fece stretta amicitia con PIETRO BEMBO, Trifon Gabrielli, Benedetto Lampridio, & con altri buomini dotti, & eccellenti.